

Michael Cobabus

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Michael Cobabus, S.S.
Theol. D. & Prof. Cives Academicos Ad Festum Nativitatis Redemptoris, &
Servatoris nostri Jesu Christi pio, & sincero pectore celebrandum, Serio invitat,
ac hortatur : [P.P. ipso Festo Nativitatis Christi Anno M. DC. LXXII.]**

Rostochi[i]: Kilius, [1672]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735992142>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA

Quo
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
MICHAEL COBABUS,

S. S. Theol. D. & Prof.

Cives Academicos

Ad

Festum Nativitatis

Redemptoris, & Servatoris nostri

JESU CHRISTI

pio, & sincero pectore celebrandum,

Serio invitatur, ac hortatur.



ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.

1672

R. U. Progr. 1672/e



Nni Solaris periodo iterum, Dei gratiã,
absolutã, illuxit hodierna luce, (quod
felix, salutare, & tranquillum esse ju-
beat Clementissimus cœli Pater) læ-
tissimus Dies, quo Ecclesia Christiana
annuam memoriam admirabilis nati-
vitat^{is} Christi, & inenarrabilis conjuncti^{onis} divinæ, &
humanæ naturæ in unitate personæ, piã mente recolit,
& ardentibus votis solemnitet celebrat. Hodie Sol Ju-
stitiæ novi anni læt^{um} auspici^{um} reducens; exortus
est, & vaticinia olim per Mosen, cœterosq; Prophetas
Spiritus S. afflatu prolata de Messiæ adventu clarissimè
adimplera sunt. Nam ex Sion venit ^{ὁ πρῶτος} & vehe-
menti desiderio expectatus Redemptor gentium, qui
nobis veræ pietatis, & justitiæ viam aperit, & luce ve-
ritatis Evangelicæ patefacta, hominum mentes, quæ
in summa rerum omnium ignoratione, & cœcitat^{is}
caligine versantur, illuminat, & ad contuendum lu-
cis cœlestis fulgorem, & claritatem perducit. Hodie
multitudo cœlestis exercitus jubilat: Angeli lætantur,
& exultant: Christiani sacris hymnis ad Spiritualem
lætitiam in Christo nobis nato, & ad gratitudinem Deo
debi-

debitam se mutuò exuscitant, & infinitam Dei sapien-
tiam, iustitiam, veritatem, & bonitatem, cum sanctis
Angelis summis laudibus prædicant. Felix igitur festa
dies, quâ beneficia admirandæ, & salutiferæ nativita-
ris filii Dei ex virgine Maria ab Ecclesia Christiana cele-
brantur magno cum gaudio, quod omnibus populis,
Judæis, & gentibus illa verissimè attulit, juxta illam An-
geli concionem: *Nolite timere: Ecce enim εὐαγγελίζω vo-
bis gaudium magnū, quod erit omni populo, quia natus est vo-
bis hodie servator mundi.* Diem, mensem, atq; annū, quo
ipsa nativitas olim in plenitudine temporis facta, nihil
attinet hîc curiosius inquirere; eam tamen sententiam
quæ communior est, & in Ecclesia hæctenus recepta,
haud immeritò sequimur & retinemus, quòd nimirum
vigesimo quinto Decembris, natus sit Servator in civi-
tate Bethlehem. Miretur hunc diem omne seculum:
obstupescat natura rerum: virgo procreat Sobolem,
nullam procreandæ sobolis experta consortem. *Mihi
impossibile est, scitè & præclare docet Ambrosius, gene-
rationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non meat an-
tium, sed S^{us} Angelorum: supra potestates, supra Cherubin,
supra Seraphin, S^{us} supra omnem sensum est: quia scriptum
est: pax Christi supra omnem sensum est. Quomodo non
est supra omnem sensum tanta generatio? Tu ergo ori ma-
num pone, scrutari non licet superna Mystera. Licet scire,
quòd natus sit; non licet scire, quomodo natus sit. Hoc enim
quærere metus est: ineffabilis enim est illa generatio. Unde*

Esaias ait: generationem ejus quis enarrabit? Hæc hominum sensum & intelligentiam mundi excedit: Hoc non capit humana intelligentia ratio, sed prudentia fidelis professio. Puer nascens est verus Deus, & verus homo: Filius Dei altissimi, & filius Mariæ virginis, Deus ex substantia Patris ante secula genitus: Homo ex substantia Matris in seculo natus: perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & corpore subsistens. Neque tamen duæ sunt personæ; sed unus est Christus, una illius numero subsistentia, quæ communicata est humanæ naturæ, modo mystico & ineffabili. Nam exaltatione incarnationis humana Christi natura ita est exaltata, ut in ipsam ἁγία hypostasin sit evecta. Totus ἁγίος, ait Cyrillus, totam humanam naturam in persona sua unitatem, & Trinitatis consortium assumpsit. Non autem ἁγίος suam hypostasin communicavit efficiendo in assumpta natura aliam numero subsistentiam: vel suam in carnem transfundendo; sed eam sibi personaliter uniendo, vel in *σώματι* suæ unitatem assumendo, ita verò, ut natura humana Christi non separatim subsistat; sed in ipso ἁγίω. Hypostasis dicit quidem incommunicabilitatem, non autem ad aliam naturam simpliciter; sed ad aliam personam. Neque actus personalis ἁγίος communicatus humanæ naturæ efficit, ut ea sit persona, cum is non sit proprius humanæ naturæ Christi, quippè quæ non subsistit per modum propriæ personæ; sed in persona filii Dei. Nam verbum
caro

caro factum est, id est æternus Dei Filius Homo factus est, suam substantiam, & naturam divinam communicando humanæ naturæ assumptæ. Quando igitur Patres locuti sunt, quod Filius Dei assumeret hominem, non intelligunt per hominem naturam humanam propriam substantiam terminatam; sed quatenus ea nata est esse in persona, & in persona Filii Dei subsistit. In Christo autem oportuit duas esse distinctas, & personaliter unitas naturas, divinam & humanam, ut mediator esset inter Deum, & homines, & nos Dei inimicos in amicitiam, & concordiam reduceret, faceretq; , ut homo se offerret Deo hostiam sanctam, vivam, & acceptam, atq; credentes adoptionis filiorum participes fierent. Unicus siquidem naturam Filii Dei propter nos misericordiam factus est Filius hominis, ut nos naturam filii hominis filii Dei per ipsum gratiam fieremus. Atque hoc est extra omnem controversiam magnum illud mysterium, quod Paulus Apostolus celebrat. *Magnum* inquit, *Mysterium est: nam Deus manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu, visus est Angelis, predicatus est gentibus, fides est illi habita in mundo, receptus est in gloriam.* Magnum profecto est mysterium, & pia admiratione dignum, quod creator creatura, & Deus homo esse voluerit, & factus sit. *Non amplius fabricam Mundi hujus, inquit Cyprianus: non luna vices, non Solis cursum, non temporum vicissitudines miror; sed miror Dominum in utero virginis omnipotentem.* *Hac sunt*
10(3 *qua*


qua me exclamare faciunt: consideravi opera & ex-
pavi. Nascitur quidem Servator mundi in civitate
Bethlehem, loco per Prophetam multis antè seculis in-
dicato, & stante adhuc politia Judaica; sed in diversor-
io & stabulo, intempestâ nocte rejectus, & desertus
cum Matre ab omnibus. Quid hac nativitate in con-
spectu hominum abjectius? Quid miserius? Verùm
propter nos homines, & propter nostram salutem is,
qui omnium Dominus, & summè dives erat, descendit
de cœlis exul, & pauper factus est, ut nos illius pauper-
rare ditesceremus, & ex mundi hujus diversorio in cœ-
lestem patriam transferremur. Nobis enim, inquit
Propheta, natus est parvulus: nobis filius est datus. Na-
rus est ad salvandum, datus est ad redimendum o-
mnes. Aspiceo, homo! stupendæ dignitatis, & charita-
tis divinæ gloriam prorsus ineffabilem; Homo Deum
contemnens à Deo discesserat; Deus verò hominem
diligens ad hominem venit. Et hoc est, quod scriptu-
ra passim inculcat, asserens, Filium Dei, orientem ex
alto, visitare nos dignatum fuisse per viscera misericor-
diæ, & venisse, ut quæreret, & salvum faceret, quod
perierat: venisse, ut illuminaret eos, qui in tenebris, &
umbrâ mortis sedebant, venisse, ut captivitatem asse-
reret in libertatem filiorum Dei, ut errantes reduce-
ret in viam, ut exules revocaret in Patriam. Vide quan-
ta majestas, quantæ opes, quanta gaudia ex hoc stabu-
lo, & duro præsepi promanant. Quem homines fasti-
diunt

diunt ut puerum & egenum; Hunc Deus ut Filium suum, & Dominum nostrum, & Servatorem omnium, populorum agnoscit, & diligit. Quem tenebræ tegunt in stabulo, lux cœlestis patefecit pastoribus, stella nova magis in oriente, is prædicatur lux mundi illuminans eos, qui sedent in tenebris, ut cœlestis aulae hæredes fiant. Qui foeno jacere pertulit, & præsepe non abhorruit, pacem Dei in terris, & æternam salutem hominibus attulit. Pauper est, & tamen Rex natus est, ut omnes ad se pauperes & contrito Spiritu venientes recipiat, ac regni & cœlestibus bonis ditet. *O immensa pietas! o inestimabilis charitas!* piè exclamat Augustinus, *ut liberares servum, Filium tradidisti, Deus homo factus est, ut perditus homo de potestate Demonum eriperetur.* *O charitas! o pietas! quis audivit talia? quis super tantis misericordiae visceribus non obstupescet? quis iam bone Jesu de tua misericordia diffidat? qui cum inimici essemus, redemisti nos in sanguine tuo, & reconciliasti nos Deo: desperare ergò amplius non possum: nam licet ego indies committam, unde damnare me potes, Tu tamen non amisisti, unde salvare soles.* Fac ergò ut de tua bonitate non desperem, sed jugiter pœnitendo respiscam. Disce igitur o homo, inquit Bernhardus, quanti Christus te fecerit, & disce hoc ex iis, quæ pro te factus est, quanto tu vilior, tanto tibi debet esse, charior, propterea quod vilitas tui nobilitandi causâ sit suscepta. Disce etiam propter te, hoc est, propter flagitia tua animum demittere, lacrymas fundere, delicias fugere, & asperioris vitæ propositum

positum minimè formidare. Quæ cum ita reverà sint, omnes
Jurisdictioni Academicæ subjectos seriò hortor, & moneo, ut,
quod filios Dei, ac Christum sincero pectore amantes decet,
mysterium incarnationis Domini nostri Jesu Christi, ejusquè
beneficia verà, & devotà animi pietate meditentur, nullusq;
reperiatur, qui Deo non votum offerat pium, & reddat simul,
quia nimis, iniquum foret, ait Augustinus, si Deo non ali-
quid offeremus de nostro, qui animam suam pro nobis posuit,
& propter nostram salutem, cum esset æternus, carnem susce-
pit. Quicumq; igitur iram, aut livorem contra alterum fo-
ves, tantùm propter amorem Dei dimitte, & obtulisti votum:
Qui consuevisti hætenus luxui, crapulæ, lasciviæ, jurgii, scor-
tationibus, digladiationibus, aliisq; id genus sceleribus, atque
flagitiis indulgere, respisce hodie, excute sordes istas per se-
riam cordis compunctionem, & clama ad Dominum: piissime
Domine, misericordissime Deus, sufficiat mihi, quod huc usq;
peccavi: jam, te inspirante, voveo, me à nequitia mea conver-
surum. Cum hæc feceris obtulisti votum tuum Domino, vo-
tum Deo placitum, & acceptum: & posthæc veniet tibi bene-
dictio, & dicetur de te, & fratribus pœnitentibus: Ecce popu-
lus meus, quem acquisivi sanguine meo, saturavit me votis, im-
plevit me odoramentis: Ego ero eis in Dominum, & ipsi erunt
mihi in populum, & non erit ultra eis captivitas, aut desolatio.
Abstinete igitur, Cives Academici, ab omni iniquitate, & scan-
dalo, ne iram Dei jam accensam irritetis, neq; Turcarum alio-
rumq; Barbariem, ac sævitiam cervicibus nostris attrahatis, A-
liis potius, sicuti vocati estis, sobriã vitã, ac pietatis, modestiæ,
obedienciæ, ac virtutum exemplo non tantùm hisce diebus fa-
ceris, sed etiam totius vitæ curriculo præluceat. Quod & vo-
bis, & Toti Academiæ honorificum, & imprimis Deo unico Re-
demtori, & Sevatori nostro Jesu Christo acceptum erit, qui per
infinita vivit seculorum secula. P. P. ipso Festo Na-
tivitatis Christi Anno M. DC. LXXII.



diunt ut puerum & egenum; Hunc I
um, & Dominum nostrum, & Serva
populorum agnoscit, & diligit. Qu
gunt in stabulo, lux cœlestis patefecit
la nova magis in oriente, is prædicatu
minans eos, qui sedent in tenebris, ut
redes fiant. Qui sceno jacere pertu
non abhorruit, pacem Dei in terris,
tem hominibus attulit. Pauper est,
tus est, ut omnes ad se pauperes & co
nientes recipiat, ac regis & cœlesti
O immensa pietas! o inestimabilis chari
Augustinus, ut liberares servum, Filium
homo factus est, ut perditus homo de po
eriperetur. O charitas! o pietas! quis au
per tantis misericordiae visceribus non ob
bone Jesu de tua misericordia diffidat? q
mus, redemisti nos in sanguine tuo, & rec
desperare ergò amplius non possum: nam
mittam, unde damnare me potes, Tu
sti, unde salutare soles. Fac ergò ut de
sperem, sed jugiter pœnitendo respiciam
homo, inquit Bernhardus, quanti C
& discce hoc ex iis, quæ pro te factus e
or, tantò tibi debet esse, charior, p
litas tui nobilitandi causâ sit suscepta.
pter te, hoc est, propter flagitia tua
tere, lacrymas fundere, delicias fugere, &



ium su
nium,
oræ te
us, stel
di illu
la hœ
esepe
m salu
lex na
ritu ve
ditet.
clamat
i, Dêus
nonum
quis su
nis jam
rici esse
os Deo;
ies com
n amisi
non de
gitur o
ecerit,
tu vili
uod vi
m pro
demit
itâ pro
positum